

ralis, devolvitur ad Papam, *Constit. Ordin.* stat. 8. cap. 9. in textu, et in hoc fere omnes Religiones concordant; sed quælibet stet suis specialibus Constitutionibus a Sede Apostolica approbatis. (78. Electio celebrata post elapsum tempus a Jure communi, vel speciali præfixum est nulla; cap. *Ne pro defectu* 41. de *Elect.*, c. *Licet* 3. de *supplend. neglig. Prælator.*

(79. Electio regulariter loquendo non est faciendâ de nocte. Navarr. consil. 2. de *Electio.* in prima edition. alias consil. 8. Rodriquez tom. 2. quæst. 61. art. 15. Mirand. tom. 2. *Manual Prælator.* quæst. 23. art. 12. conclus. 1. Sayrus in florib. *decis. de Election.* tract. de *Benefic.* cap. 16. num. 129. Castellin. de *Election.* in addit. ad cap. 6. pag. 498. Portell. in dub. *Regul. verb. Electio* num. 6. Donat. loc. cit. tract. 3. quæst. 7. num. 2. Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univers.* cap. 19. num. 170. et alii passim. (80. Dicitur *Regulariter loquendo*, quia ob gravem, et urgentem causam potest Electio licite, ac valide celebrari de nocte, dummodo tamen adsint ad minus tria luminaria, ad evitandos dolos, et errores, qui in dandis suffragiis, et conscribendis schedulis possint oriri. Rodriq. tom. 2. qq. *Regul.* quæst. 51. art. 5. Portell. in *Dub. Regular. verb. Electionum.* 5. Mirand. loc. cit. conclus. 1. Barbosa loco citato num. 170. Donat. loc. cit. num. 4. et alii. (81. Causa autem gravis, et urgens pro celebranda electione de nocte, esset si in tota die non potuerint Electores concordari, et sequenti die periret facultas eligendi; vel si immineret periculum ut Congregatio dissolveretur; vel si timerentur obventuræ Magnatum litteræ, quæ possent Electorum libertati præjudicare, et hujusmodi. Samuel. tract. 1. disp. 1. controvers. 19. de *Elect.* Donat. loc. cit. num. 5. Barbosa loc. cit. n. 170. Portell. loc. cit. et alii. (82. Per noctem intelligitur illud tempus, quod incipit post datum signum ad salutationem Angelicam usque ad illud tempus, quod jam albescit. Barbosa loc. cit. num. 171. Donat. loco cit. num. 3. Navar. loc. cit. et alii passim. (83. Electio potest celebrari etiam die Festo. Donat. l. c. q. 10. n. 1. et alii communiter.

(84. Si debito tempore ante celebrationem Capituli vel Congregat. non exhibeantur attestations de adimplemento onerum Missarum, electio est nulla: ita habetur ex Constitutione Innocent. XII. incipien. *Nuper* § 33. ibi: «Teneantur omnes, et singuli Superiores Locales, in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cujuscumque Domus Regularis subscriptam, et juratam, quod omnibus, et singulis tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus ad limites, et tenorem præsentium decretorum, tempore eorum regiminis fuerit omnino, et integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali impedimento Missarum distincte referenda-

rum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adjuncta, et omnino adimplenda conditione, quod ante præfatæ attestationis exhibitionem, quicumque Superiores Locales prædicti vocem activam, seu passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omnino habere non valeant.» (85. Et sic defectu observantiæ dictæ Constitut. pro nullitate Capituli Provincialis, Partibus acriter informantibus respondit Sac. Congr. Episcop. et Regul. Ponente Emo. Corsino in Baren. Provinciae S. Nicolai Capituli Provincial. 18. Febr. 1712. dubio: «An Electio Provincialis etc. sustineatur?» *Negative*; et die 3. Julii ejusdem anni persistendo in resolutis, respondit cum addito, *Ut causa amplius non proponeretur.* Et idem etiam resolvit in Provincia S. Bernardini 19. Maii 1713. referente Eminentissimo Casino, cum rescripto, «suspensio Capitulo, Superiores procedant ad declarationem incursus pœnarum prout de jure.» Recurrentibus autem Superioribus Generalibus ejusdem Religionis, atque ante oculos EE. PP. ponentibus magna incommoda Provinciae, et moraliter impossibilitatem convocandi aliud Capitulum cum diversis Vocalibus, non nisi gratiam rehabilitationis, quoad vocem activam tantum obtinere poterunt, die 2. Junii 1713. cum rescripto: «Pro gratia rehabilitationis quo ad vocem activam tantum, imposita poenitentia salutari.» Cum quibus pro punctuali executione ejusdem Innocentii Constitutionis processit etiam Sac. Congregat. Concilii in Ord. Minor. Observ. 17. Junii 1713. quoad 2. dubium. Sic expresse refert Ursaya tom. 2. part. 2. discept. 29. num. 4. 5. 6. et 7.

(86. Vicarius Provincialis electus a solo Definitorio post mortem Provincialis potest ex justa causa obtinere titulum Ministri Provincialis, ut de facto enixe supplicantibus omnibus vocalibus Provinciae Neapolitanæ Reformatæ, et concurrente consensu nedum omnium omnino Vocalium, sed etiam omnium Exprovincialium non Vocalium illius Provinciae, et Superioris Generalis, concessit Patri Petro de Neapoli Sacra Congreg. Episcop. et Regul. Ponente Eminentiss. Casino 22. Maii 1714. (87. Sic in Provincia Romana anno 1673, fuit electus Vicarius Provincialis P. Joseph Mediolanensis, qui paulo post titulo et prærogativis Ministri Provincialis decoratus fuit, prævio voto Sacræ Congreg. Episcop. et Regul. mediante Breve S. M. Clement. X. referente P. V. C. Generali in ejus voto. Item in Provincia S. Thomæ anno 1699, ex gratia Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. remissis arbitrio P. Matthæi a S. Stephano tunc temporis Superioris Generalis præcibus P. Petri Francisci de Solere, idem ex Vicario Provinciali declaratus fuit Minister Provincialis; sic refert Ursaya tom. 1. part. 2. discept. 22. (88. Qui tamen in Miscellaneo Sacro, et Profano verb. *Vicarius Provincialis* refert talem gratiam fuisse denegatam ab eadem Sacra Congr. Episcop. et Reg. in Januens. 24. Septembris 1717.

(89. Electio facta a Regularibus, et de Re-

gularibus necdum in eadem Religione professis, est nulla; Regulares enim qui tacite, vel expresse professionem non emiserint, sunt incapaces eligendi, textu expresso in c. *ex Eo* 32. de *Elect.* in 6. § in *Ecclesiis*, ibi: «In Ecclesiis quoque Regularibus, vel Monasteriis, hi qui non sunt tacite vel expresse professi, non debent cum professis, vel Conversi Laici cum Clericis, electionibus interesse.» Navar. in *Lucern. Regul. vel Electores, sive Eligentes* n. 1. Silvester verb. *Electio* 4. n. 5. Barbosa loc. cit. c. 19. n. 50. et communis aliorum. Et Regulares qui non sunt expresse professi, nequeunt omnino eligi in Prælator, textu expresso in cap. *Nullus* 28. de *election.* in 6. ibi: «Nullus Religiosus ad Abbatiam, seu Prælaturam suæ, vel alterius Religionis de cetero eligatur, nisi antea fuerit Ordinem Regularem expresse professus. Quod si secus actum fuerit; eo ipso irritum habeatur.» (90. Ex quibus textibus clare patet, quod ad hoc, ut quis possit eligere, sufficit tacita professio, «tacite vel expresse professi.» Ut vero possit eligi, necessario requiritur expressa, «nisi fuerit Ordinem Regularem expresse professus,» ut recte observant Sigismund. a Bononia de *Election.* dub. 90. nu. 3. Suarez de *Religion.* tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 4. n. 2. Barbos. loc. cit. num. 50. et alii passim, et hoc procedit etiam in Monialibus, textu expresso in cap. *Indemnitatibus* 43. de *Elect.* in 6. (91. Et eligendus in Prælatum debet esse professus in eadem Religione, in qua eligitur, textu expresso in Clement. 1. de *Election.* ibi: «Cum rationi non congruat, ut homines disparis professionis, vel habitus simul in eisdem Monasteriis socientur, prohibemus ne Religiosus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel Habitatus de cetero eligatur; Quod si secus actum extiterit, sit eo ipso irritum et inane.» Et per hanc decretalem correctum videtur illud verbum in cit. cap. *Nullus* 28. de *Election.* nempe «Vel alterius Religionis de cetero eligatur,» ut ibi notat Glossa in verb. eod. et clare de se patet propter congruentem rationem in d. Clementina adductam.

(92. Sententiæ privationis vocis activæ, et passivæ debent a Superioribus Regularibus pronunciari per mensem ante Capitulum, aliter non tenent, ex visitationis Apostolicæ decreto edito 14. Octob. 1601. a Clement. VIII. approbato sub his verbis: «Privatio vocis activæ, et passivæ, ac inhabilitatis decreta, sententiæque ab eisdem Superioribus Ordinis latae, ne deinceps in ipso electionis actu pronuncientur, promulgenturve, atque eæ promulgatæ vocales minime afficiant, nisi per mensem ante fuerint intimatæ, prout Sanctitas sua omnino vetuit.» Quod decretum nominatim observari præcepit jussu Pauli V. Card. Verallus Ord. Minor. Protector 27. Maii 1616. ut refert Lantusea in *Theatr. Regul.* verb. *Causa, seu lis*, n. 2. Hoc enim fundatur in jure communi, secundum quod omnes mutationes, et sententiæ prolatae in limine Capituli præsumuntur factæ ad frau-

dandam futuram electionem, ut advertunt Castellinus de *Elect.* c. 13. n. 14. Pellizar in *Manual. Regul.* tract. 9. c. 2. sect. 2. num. 8. Pignatell. tom. 10. consult. 18. num. 10. (93. Non enim potest præses Capituli Religiosos voce activa et passiva privare, ipsis non citatis, nec eisdem data actorum copia, ut se possint via Juris defendere, quamvis a Superiore Generali haberet in mandatis, ut procederet sine strepitu, et figura Judicii, et quod posset Religiosos voce activa, et passiva privare, quia id debet intelligi, *Juris ordine servato*, scilicet citato reo, et in suis exceptionibus audito. Clementin. cap. *Pastoralis* 2. § *Ceterum. de Sentent. et re judicat.* Rodriq. qq. *Regul.* part. 2. q. 52. art. 12. Miranda in *Manual. Prælator.* tom. 2. qu. 23. art. 22. conclus. 3. Castellin. de *Elect.* cap. 13. tit. direct. pacific. election. Lezana tom. 1. qq. *Regul.* cap. 15. n. 34. Peyrin. tom. 1. de *Subdito* qu. 1. de *Obedient.* c. 31. § 10. Pignatell. tom. 10. d. consult. 18. num. 9. cum aliis adductis a Passerin. de *Elect.* cap. 2. quæst. 4. num. 71. (94. Si tamen citato Capitulo, et Vocalibus jam congregatis emergeret casus, propter quem Vocalis aliquis sit voce activa, vel passiva privandus, tunc ipso summarie audito, an aliquam excusationem pro se adducere possit, aut velit, posset sententia pronunciari, vel declarari incurrisse excommunicationem, et consequenter privationem vocis activæ, si esset notorius Clerici percussor, ex cap. *Si quis suadente* 29. caus. 17. quæst. 4. vel privationem vocis activæ, vel passivæ incurrisse, ex quo non detulerit ad Capitulum attestationem juratam a Sacerdotibus sui Conventus super celebrationem Missarum ad præscriptum Constitutionis Innocentii XII. incipien. *Nuper*, sub talis privationis pœna id præcipientis, ut patet ex propriis suis verbis relatis supra sub num. 84.

(95. Electio Canonice celebrata, est confirmanda ab immediato, et proximo Superiore; cap. *Nihil* 44. de *Elect.* § *Ceterum.* (96. Si electus ante confirmationem se immisceat administrationi, seu exercitio Prælatuæ, est ipso facto privatus jure acquisito per electionem; cap. *Qualiter* 17. de *Election.* et cap. *Avaritia* 5. eod. tit. in 6. (97. Excipiuntur tamen electiones Generalium Ordinum, qui ex variis privilegiis a Sede Apostolica ipsis concessis, eo ipso quod sunt electi, sunt a Sede Apostolica confirmati, vid. Constitut. Sixti IV. incipien. *Dum attendita.* (98. In Ordine Minorum, Generalis statim ac Canonice est electus potest plenam et liberam administrationem, et jurisdictionem exercere, ex concessione Clementis IV. Constitut. incipien. *Virtute conspicuos.* Provinciales vero ex eadem Constitutione confirmantur a Generali, vel ab ejus delegato Visitatore, et Præsidente; Guardiani autem eodem actu eliguntur, et confirmantur; ut cum aliis notat Hasbensis summ. 99. verb. *Electio* num. 193. et docet praxis. (99. Abbatissæ quamvis debeant ab Episcopo, vel suo respective Superiore confirmari, adhuc possunt ante confirmationem administrare juxta



dispositionem textus in cap. *Indemnitatibus* 43. de *Electione*, et declaravit Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Mazarien. 18 Martii 1700. referente Eminentissimo Colloredo.

(100. Quoad electionem Abbatissarum notanda sunt sequentia novissime proposita, et resoluta dubia (1).

I. An in Electionibus Abbatissarum in Monasteriis sub disciplina Regularium Minorum de Observantia, possit Episcopus secum conducere Cancellarium; et quatenus affirmative.

II. An liceat eidem Cancellario interesse, et assistere scrutiniis, et Electionibus Abbatissarum, quæ fiunt in Monasteriis Ord. Minor. de Observantia Tiburis; et quatenus negative?

III. An saltem dictus Cancellarius durante scrutinio permanere possit intra Ecclesiam in casu, etc.

Sac. Congregat. Concil. in Tiburtina 26 Aprilis 1727, respondit ad I. *Affirmative*. Ad II. *Negative*. Ad III. *Nec Cancellarium, nec Fratres, exceptis Superiore et Scrutatoribus, permanere posse intra Ecclesiam*.

Insuper attendenda est sequens alia ejusdem Sac. Congregat. Concil. resolutio sub die 4 Maii 1675, in Neapolitana Electionis Abbatissæ lib. 29, *Decr.* pag. 63, a tergo: ibi: Post editam Constitutionem *Inscrutabili* a Gregorio XV. consuevit Archiepiscopus Neapolis pro tempore, ut narrat Eminentiss. Caracciolus, interesse Electionibus Abbatissarum Monasteriorum Regularibus subjectorum, adhibito ultra seipsum, vel Vicarium, etiam Notario, qui gesta adnotaret, ac fidem de his faceret, ne res alioquin remaneret sub dispositione Superiorum Regularium, si controversia super electione, et nullitas occurrisset, atque ne Ordinarii interessentia frustratoria redderetur. Hoc non obstante Superior Monasterii Reginae Cœli ex Canonicis Regularibus, in Electione nuper facta noluit admittere Notarium, et non obstante, quod Vicarius Generalis de Nullitate protestaretur, ad electionem processit allegans pro se declarationem hujus Sacre Congregat. tenoris sequentis: *Urbanie* 10 Septembr. 1639, Sac., etc. « Censuit Episcopum in electione Abbatissæ Monasterii Monialium Regularibus subjectarum non posse exquirere, seu recipere vota Monialium, sed illa exquiri, et recipi debere a Superiore Regulari, sciente tamen, et audiente eodem Episcopo. » His stantibus, Eminentiss. Ar-

(1) Circa Electionem Abbatissarum Benedict. XIV. de Synodo Diœces., lib. 5. cap. 12. § 4. censuit, Episcopum una cum Prælati Regularibus interesse, eidemque ab ipsis denunciandam esse futuram electionem. « Præterea juxta Constitutionem 18. San. Mem. Gregorii XV. Episcopus una cum Prælati Regularibus interesse, et præsidere potest electioni Abbatissarum, quæ præficiendæ sunt in Monasteriis iisdem Regularibus subjectis, in cujus constitutionis sequelam a Sacris Urbis Congregationibus decisum est, debere Regulares futuram electionem Abbatissæ Episcopo denunciare, et si Episcopus dixerit, se velle per se, vel per alium eidem electioni interesse, teneri Episcopi adventum usque ad præfinitum tempus

chiepiscopus, citato P. Procuratore Generali in Curia, instat declarari, primo, an in electionibus Abbatissarum, una cum Vicario Generali interesse possit etiam Notarius Archiepiscopalis; secundo, an dicta electio facta absque interessentia Vicarii, et Notarii sit contra Constitutionem prædictam, ac propterea nulla? Sac. Cong. Conc. ad utrumque respondit, *Negative*.

(101. Circa aliqua concernentia electionem Officialium Curiae Ordinis Minorum de Observantia attendenda est novissima Constitutio Clementis XII. incipiens *Cum sicut*, edita 10 April. 1733, in qua decrevit, quod juxta Statutum Capituli Generalis Mediolanensis Ordinis Minorum de Observantia, secuta electione Officialium Curiae, Minister Generalis pro tempore existens sex saltem Religiosos debitæ qualitatis præditos illius nationis, ex qua fuerit Officialis electus, fratribus Definitorii Generalis proponere debeat, ut ex his tres ab ipso Definitorio seligantur, e quibus in eventum vacationis ejus Officii, idem Minister Generalis unum ad sui libitum deputare teneatur; et si contigerit, alterum ex tribus Religiosis sic a Definitorio delectis decedere, aut inhabilem fore, facultas Ministri Generalis deputandi dictum Officialem ad duos reliquos, quatenus vero duo mortui, aut inhabiles fuerint, ad unicum superstitem limitata sit, et esse intelligatur; sin autem omnes tres obierint, aut inhabiles reperiantur, tunc deputetur Religiosus dignior illius Nationis, de qua erit Officialis electus in Capitulo Generali; demandato in casu absentiae Religiosi ita deputati exercitio Officii Secretario Officialis cedentis, vel decedentis: quodque delectus trium Religiosorum prædictorum pro Fratribus de Observantia, Reformatis, Exalceatis, et Recollectis Franciæ nuncupatis dicti Ordinis, ab eorum respective Definitorio Generali perficiatur.

(102. Correctores tam Generales, quam Provinciales Ordinis Minorum S. Franciscei de Paula facultatem habent decidendi de electionibus, aliisque negotiis, quæ ob paria post trinum scrutinium suffragia, ad Generale vel Provinciale Tribunal devolvuntur; Benedict. XIV. Constit. incip. *Injuncti Nobis* t. 4, *Bull.* numer. 30.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(103. Plura sunt quæ hic cumulavit Autor. De convocatione absentium ad Electio-

expectare. Jam vero ne Episcopus gravetur onere suam voluntatem singulis vicibus manifestandi eidem consulunt Doctores, ut semel in Synodo generatim declaret se uti velle facultate a Gregorio XV. sibi facta, et quarumcumque Abbatissarum quantumvis exemptarum electionibus semper, et quodcumque interesse. Hac enim declaratione semel in Synodo emissa ligari Regulares, ne Episcopo inconsulto Abbatissarum Electionibus præsidere valeant perinde ac si in singulis specialibus casibus fuisset Episcopi voluntas expresse iisdem significata, recte probat) Mouacell. in *Formul. legal.* tom. 3. pag. 187.

EDIT. BARBIELL.

nem diximus in Addit. ad verb. *Absens* quoad Electionem. Cetera illustrare haud patiuntur areti limites Additionum. Satis sit de hisce duobus verba facere.

(104. Verum est (ut de primo disseram) quod regulariter ad coarctandum terminum Electioni præfixum non sufficiat major pars Capituli, sed requirantur duæ ex tribus partibus ejusdem capituli. (105. At gravis quæstio est, num id locum sibi vindicet ubi Capitulum jam sit legitime coactum ad Electionem faciendam?)

(106. Affirmant Cardinal. Petra in *Comment. ad Constit. Apostol. Constit. 1. Divi Leonis Magni* sect. 2, num. 33. Piton. discept. *Eccl.* 100, n. 69. Lotter. de *Re Benefic.* lib. 2, quæst. 20, n. 7. (107. Negant Ricciardell. in *Lyc. Eccl.* cap. 4, sect. 1, n. 1. Passer. de *Elect.* c. 11, n. 101. Ansaldo. in *Adnot. ad decis.* 86, n. 84.

(108. Sacrum Tribunal Rotæ opinioni affirmative adhæsit coram Lancett. decis. 182, num. 16, et plur. sequent. et in Placentina Provinciæ Compostellanæ Simultaneæ 26 Junii 1743, § 10, coram Illustrissimo de Thunn. Licetque hanc revocaverit decisionem die 4 Februar. 1744, coram eodem, nihilo tamen minus in decisione revocatoria articulum hunc in medio reliquit, ut patet ex § 6 et sequent. (109. Recentius vero negativam sententiam tenuit, ut in Leodien. Vicariæ 9 Decembr. 1754, § 13, coram Illustrissimo Molin. et in Colonien. Decanatus 4 Julii 1753, § final. cor. bo. me. Borull. et 15 Maii 1756, § 7 et sequent.

(110. Ubi in electione (an alterum de quo disserere proposui) in qua plures sunt Electi, suffragia excedunt eligentium numerum, potest renunciari legitime Electus, quum nemo possit majorem numerum sibi tribuere. Immo sola ambiguitas apta est infirmare electionem hanc. (111. Et quamvis in Electionibus possit quandoque subduci redundans suffragiorum numerus, ut in reliquis veluti legitimis consistat Electio, ne utile per inutile vitietur; (112. id tamen procedit vel si unus tantum sit, qui sui periculum faciat in suffragatione ad certum assequendum suffragiorum numerum ex iis qui electioni præsent, atque ea habeat suffragia, quæ sublati redundantibus attingunt numerum ad actus firmitatem præstitutum; vel etiamsi is in aliorum concursu tot enumeret vota, ut quæcumque contra ipsum deductio fiat, adhuc cæteris antecellere videatur; secus e contra. (113. Vide hæc et alia ad hanc Electionis materiam pertinentia apud Rot. in Nullius seu Firmana Canonice 3 Jul. 1748, cor. Illustriss. Clemente, impress. Romæ per Barbiellini 1785.

#### NOVÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(114. Nulla in materia magis incerto jure vivimus, quam in hac electionis. Quæ a jure Canonico enim sancita sunt circa electionem propriam, ea a Doctoribus modo admittuntur, modo rejiciuntur in electione impropria. Infinita afferre possemus exempla, si otium esset. At libet aliud afferre, de quo novissi-

me actum est in Sacra Rota in *Comen Canonice Theologalis*.

(115. Pertinet Juspatronatus hujus Canonice ad Capitulum. Ex octo vero Canonicis, qui Capitulum componunt, quinque elegerunt inhabilem sub conditione dispensationis, tres vero habilem elegerunt. Obstantia intra terminum juris minime fuit dispensatio. Quæstio ideo fuit orta, num electio habilis facta a tribus illis Canonicis, valida sit, necne?

(116. Pro invaliditate hujus electionis adducebatur, quod de jure Canonico electio facta a minori parte minime valida est, ubi major pars inhabilem citra ullam culpam elegerit, ut si ignoranter elegerit. Culpa autem vacare contendebatur electio inhabilis a majori parte sub conditione dispensationis facta.

(117. Contra vero valida ex eo prætendebatur, et quidem jure meritoque, hæc electio habilis facta a minori parte, quod electio inhabilis a majori parte facta sub conditione dispensationis, non obtenta ipsa dispensatione vel referenda est ad casum non factæ electionis, vel ad casum electionis inhabilis voluntarie, et culpose factæ. Aut enim eligentes Inhabilem sub conditione dispensationis intendunt non eligere, non obstante quod dispensatio non obtineatur, et in hoc disparato casu referri electio debet ad casum Electionis Inhabilis voluntarie, et culpose factæ. At sive ad unum, sive ad alterum casum referatur, totum jus Capituli consolidatur in minori parte eligente Habilem, et sic electio Habilis ab ipsa minori parte facta valida est dijudicanda.

(118. Dispositio vero illa juris Canonici, quod eligente majori parte sine culpa Inhabilem, nequeat valere electio Habilis facta a minori parte, trahi nequit ad casum hunc, idque quia qui absque culpa eligunt Inhabilem, quantum in ipsis est, eligere intendunt. Lex vero est, quæ Electioni illi denegat effectum.

(119. Adeo vero hic articulus implexus visus est, ut supremum Rotæ Auditorium semel atque iterum scissum ex æquo fuerit, nullamque ceperit resolutionem, ut die 30 April. et die 21 Junii anno 1762. Sed cum deinceps die 28 Januarii 1763, in eam iverit sententiam, ut totum Jus Capituli consolidetur in minori parte habilem eligente, ut ex § 16 ad finem; hinc libet pro gravitate articuli, tum novitate ejus resolutionis ipsissima verba Decisionis hic exscribere.

« Hactenus dicta luculenter commonstrant, nullum Jus Ignatio comparari ex præsentatione a quinque Capitularibus in idipsum collata. Nam irrita prorsus, et inanis fuit nominatio incapacis intuitu ætatis, totumque Jus Capituli coaluit in aliis tribus Canonicis Joannem Antonium Nicolina Sacerdotem habilem eligentibus. Impediturque propterea devolutio ad Sanctam Sedem, nec Ignatio prosunt Litteræ Provisionis Apostolicæ, perinde expeditæ, ac si ageretur de Canonice devolutio. Nam si major Pars Collegii in eodem Actu, proque eadem vacatione eligat